



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xvj. De Executione rei Iudicatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

terit, alijs quoq; legum animadversionibus coërcebitur, cum dignum sit, vt qui in multis audet offendere, pœnæ etiam multiplici subdatur.

*Sententia lata, postquam per decem dies nõ fuit appellatum, regulariter retrahari non potest. hoc dicit.*

Lata tamẽ sententia, nisi per appellationẽ intra terminum lege constitutum suspensa fuerit, amplius reuocari non poterit. Cum enim post decem dierũ spacium sententia in auctoritatem rei iudicatę trãseat, qui ad prouocationis subsidiũ intra id temporis spacium non recurrit, ideo appellandi sibi aditum præcludit, quia per hoc videtur interpretatione iuris velle latę sententię obtemperare. Excipiuntur tamen multi casus, in quibus sententię etiam post decem dies rei iudicatę firmitatem sibi vindicare non valent, veluti cum de matrimonio<sup>b</sup> est quæstio, aut seruata sententia salus animæ in discrimen adducitur, & alij plures.

*Res inter alios acta alijs præiudicium regulariter non adfert. h. d.*

De eo quoq; admonendi sumus, quòd & si sententia transferit in rem iudicatam, præter eos, inter quos dicta fuerit, regulariter neminẽ lædet: si quis tamen<sup>c</sup>, cum sibi primũ de ea re actio, vel defensio compete-

ret, sustinuit sequentem agere, aut passus est eum, a quo causam habuit, experiri, ipse quoq; sentiet ex re iudicata præiudicium.

## DE EXECVTIONE rei iudicatę,

### TITVLVS XVI.

*Sententia lata in reali actione mandatur executioni statim, in personali uerò post quatuor menses, qui terminus potest breuiari, & prorogari. h.*

Igitur sententię latę legitima appellatio non occurrerit, intra statuta tempora executioni mandanda erit. Sed multũ intererit, utrũ super reali, an verò super personali actione sententia lata fuerit. Primo enim casu, statim: secundo nõ, nisi post emensa quatuor mensium spacia executioni mã dabitur. Licet autem quadrimestre<sup>d</sup> tempus in personali actione sit regulariter statutum, ex causã tamẽ nonnunquam & arctari, & prorogari potest. Sed qui ab initio terminum recipit sponte breuiorem, sibi id imputare debet, cum ex voluntate propria iuris beneficiũ contempsisse videatur. Vnde postea nõ audietur appellans, nisi fortẽ aduersus eũ modus executionis Canonicus excedatur, siue ab ordinario, siue à iudice delegato, siue etiã ab arbitro res iudicata fuerit.

*Delegatus à Principe potest propriam sententiam intra annum exequi. h. d.*

Sed

<sup>a</sup> cap. quod ad consultationẽ. §. taliter. ext. cod. tit.

<sup>b</sup> cap. lator. ext. cod. tit.

<sup>c</sup> cap. pen. extra. co. tit.

<sup>d</sup> cap. quod ad consultationem. §. sed nec. ext. de sent. & re iudic.

a cap. signifi-  
casti nobis.  
ext. de offi.  
deleg.

Sed<sup>a</sup> si ordinarius ad mandatum iudicis à Principe delegati nolit, aut quibusdam obfistentibus sententiam ab eo latam suo effectui mancipare nequeat, datus ipse iudex illam executioni mandare poterit, & resistentes Ecclesiastica sententia coercere, & non solum vsque ad quadrimestre tempus, quod ad solvendum debitum à lege reo ceditur, sed vsque ad annum integrum ad exequendam sententiam, iurisdictionem exercere poterit.

*Iudex deputatus super executione sententiae, admittit exceptionem fraudis, seu nullitatis, non ut super ea pronunciet, sed ut negotium ad superiorem, qui iudicavit, transmittat. hoc dicit.*

b cap. de cetero. extra. de sent. & re iudicat.

Quòd<sup>b</sup> si Princeps propriam sententiam per aliquem executioni mandari iubeat, & circa negotium fraus interuenisse dicatur, executori de toto negotio cognoscendi facultas non erit, sed ad superiorem quaestiones, si quae inciderint, deferri oportebit.

*Iudex ordinarius tenetur exequi sententiam delegati à Principe etiam iniustam. h. d.*

Cum igitur regulariter contingat, quòd executio sententiae Ordinario demandetur, quaeri poterit, an si ipsam iniusta esse cognouerit, executioni eam mandare debeat, an sit ei subsistendum potius? in qua specie responsum est<sup>c</sup>, quòd cum Ordinarius

c cap. pastoralis officij. §. quia uerò. extra. de offi. deleg.

Delegato teneatur obsequi, licet sententiam non esse iustam nouerit, exequi nihilo minus tenetur, cum sibi non cognitio, sed executio tantum fuerit demandata, nisi à dato iudice impetrare valeat, ut ab hoc onere ipsum liberet: nec enim debet iudicis delegati mandato uolenter resistere<sup>d</sup>, sed & apud eundem instare poterit, ut executionem tandiu differri patiatur, donec Principi rei veritas innotescat.

d cap. si quando. extra. de offi. deleg.

*Si Papa scienter commisit appellationem interpositam à suo delegato dato cum clausula, appellatione remota. iurisdictione primi delegati est suspensa, quòd ad executionem. h. d.*

Sed quid si cum à sententia lata autoritate literarum Apostolicarum, in quibus inhibita fuerat appellatio, prouocatum fuerit, & literae post appellationem ad alios iudices emanauerint, an ad mandatum posteriorum iudicum executio sententiae à prioribus delegata retardari debeat? & quidem cum Apostolicus alijs iudicibus appellationis causam ex certa scientia committit, & appellationem videtur recipere, & simul priorum iudicum reuocare iurisdictionem. Usqueò igitur sententiae suspendetur executio, donec appellationis merita plenius discussa fuerint.

*Postulatio restitutionis in integrum differt executionem. h. d.*

Dantur & casus alij, in quibus licet sententia in rem transierit iudicatam, differenda nihilo minus erit executio: utputa, si non protelandi causa in integrum restitutio petita fuerit, & alij plures.

*a* cap. suscitata. ext. de integ. resti.

## DE APPELLATIONIBUS,

### TITVLVS XVII.

Quid sit appellatio, & quare inuenta hoc dicit.

**A**ppellandi vsus praecipue iudicantium iniquitate corrigit, & imperitiam detegit. Est autem appellatio iurisdictionis prioris iudicis per superioris inuocationem legitime facta suspensio: vel, Appellatio est prouocatio ad maiorem iudicem ratione grauaminis illati, vel inferendi.

*Appellatio alia extraiudicialis, alia iudicialis. Et de iure Canonico etiam extra iudicium appellatur, quae appellatio prouocatio dicitur.*

Appellationum duae sunt species. Aut enim extra iudicium appellatur, aut in iudicio. Extra iudicium appellatur, cum quis ante litis ingressum ab aliquo grauamine appellat, utputa ab electionibus, postulationibus, pusionibus, & quibuslibet extraiudicialibus actibus, ex quibus se grauatum putet. Licet enim seculares leges non, nisi in casibus, ante sententiam appellationem admittant: fa-

*b* cap. cum sit. §. si uero. extra co.  
*c* cap. conuentioni. co. tit. in 6.  
*d* cap. super eo. el. 2. ext. cod.

cri tamen Canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt: nec solent huiusmodi dici proprie appellationes, sed prouocationes.

*e* d. cap. cum sit. ext. cod.

*Appellatio iudicialis diuiditur in duas species. h. d.*

Rursus in iudicio appellatur, aut ante diffinitiuam sententiam, aut postea. Antea appellatur, ut cum ab interlocutoria, vel alio grauamine prouocatur. Postea, ut cum ab ipsa diffinitiuam sententia appellatur.

*Appellans ab interlocutoria, debet in scriptis appellare, & intra triginta dies apostolos petere, et exhibere continentes causam appellationis, aliam causam censetur deserta. h. d.*

Multum autem interest, ab interlocutoria quis prouocet, vel alio grauamine, an a diffinitiuam: nam primo casu, & causam appellationis in scriptis assignare, & a iudice infra triginta dies instanter petere debet literas dimissorias, & eidem intra dictum temporis spacium debet ab eodem iudice exhiberi, continentes & appellationis causam, & cur appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsitan ex superioris reuerentia sit delatum. Alioquin si eos intra idem tempus appellans petere praetermittat, appellationi suae renunciaisse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam.

*f* cap. 1. cod. tit. in 6.

*g* cap. ab eo. co. tit. in 6.

Ponit